



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Vitanda Parocho inprimis avaritia. 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

unice diligamus, atque eundem tam verbi doctrina, quam operis exemplo, pascamus, Divinorumque Sacramentorum dispensationem tueamur defendamufque.

CAP. II. *Vita ut doctrina in Parocho conveniat, necessarium.*

**V** Bique ferme, cum de Parochis sermo incidit, Scriptura vitam doctrinae copulat: nimirum, quod, qui vitam agit doctrinae contrariam, plus exemplo destruit, quam aedificet verbo. Oportet enim & fieri sermonem, non tantum dici: alioqui competet in Parochum, quod Seneca Platoni objectum fuisse refert, Aliter loqueris, aliter vivis; & quod Christus Pharisaïs imputat: Dicunt enim, & non faciunt; alligant autem onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros, digito autem suo nolunt ea movere. Apponatur ergo manus ori necesse est, ne sit vox quidem vox Iacob, manus autem manus Elau. Porro, vox operum fortius sonat, quam verborum. Intendus nobis Pastorum Princeps est, cujus tota vita, sua doctrina est; qui cepit primum facere, post docere; siquidem potens opere & sermone; qui discipulos Ioannis, de adventu Messiae rogantes, ad opera remisit, dicens: Ite, dicite Ioanni, quae vidistis & audistis, qui denique non solum vocat oves suas nominatim, sed & vadit ante eas, & eum tantum, qui sic docuerit & fecerit, magnum in regno caelorum fore pollicetur.

CAP. III. *Pastorem, gregis exemplum esse oportere.*

**Q** VARE beatissimus Paulus, Ecclesiae ministrum institutus: Exemplum, inquit, esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Itidem ad Titum 2: In omnibus teipsum praebere exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Sal enim terrae & lux mundi, praedicator Evangelii dicitur; & lucerna, super candelabrum posita, ut luceat omnibus qui in domo sunt, sic, ut videant homines opera illius bona, & glorificent Patrem qui in caelis est. Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad nihilum enim valet ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Apostolus itaque hoc praecipit commendat Timotheo, ut militet bonam militiam, habens non tantum fidem, sed & bonam conscientiam; quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt; ex quibus tum erant Hymenaeus & Alexander; quos tradidit Satanæ, ut

dicerent non blasphemare. Interea vero ex eodem numero omnes haeretici fuere.

CAP. IV. *Vitanda Parocho imprimis avaritia.*

**I** AM quae Clericis vitanda erunt, supra diximus. Ea ipsa potissimum Paulus quam longissime à Parochis esse vult, & quae illis opposita sunt, in ipsis quam maxime elucere. Primum scilicet, ut abstineant ab omni avaritia. Hospitales enim erunt, non turpis lucri cupidi, non opes, sed animas, venantes, non auri sed hominum piscatores: alioqui ex Pastoribus fient mercenarii, & vertentur in lupos; audientque Dominum, per Ezechielem exprobrantem: Lac comedebatis, & lanis operiebamini; quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis; quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod aegrotum erat, non sanastis; quod contractum est, non alligastis; & quod abjectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quaesivistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia; & caetera quae sequuntur. Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Radix quippe omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu vero, o homo Dei, haec fuge: sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, & mansuetudinem.

CAP. V. *Parochi familiam irreprehensibilem esse debere.*

**I** NTERIM erit domui suae bene praepositus, ut non tantum ipse, sed & sua familia, irreprehensibilem vitam agat. Qui enim domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli, 1 Timot. 3.

CAP. VI. *Parocho luxus omnino cavendus.*

**D** E INDE, procul absint Parochi ab omni luxu. Sobrium enim vult Parochum esse Paulus, nec multo vino deditum, ac vino, potius ad necessitatem, quam ad voluptatem, utentem; quemadmodum ipse Timotheo praecipit, ne aquam adhuc bibat, sed modico vino utatur, propter stomachum suum & frequentes suas infirmitates. Nesciat ergo Parochi domus comestiones crapulosas, excretur computationes illas, ad aequales haustus obligatorias. Sit procul à symbolorum (ut vocant)